

**Programma auspicale nonum de aere corporibus inclusos. Dissertationi
solenni ... praemissum. [Cum vita candidati J.G. Isaac] / [Georg Erhard
Hamberger].**

Contributors

Hamberger, Georg Erhard, 1697-1755.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Ritterianis, [1750]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/unvefjzw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

GEORGII ERHARDI
HAMBERGERI
FACVLTATIS MEDICAE SENIORIS
ET IAM
PRO - DECANI

PROGRAMMA AVSPICALE
NON VNM
DE
AERE CORPORIBVS
INCLVSO
DISSERTATIONI SOLENNI
CLARISSIMI MEDICINAE DOCTORANDI
IOHANNIS GOTTLIEB ISAAC
GOERLICIO LVSATI
DE
PVERPERARVM MORBIS
PRAEMISSVM.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

2

CONVENTUS
S. M. D. S. C. P.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.

1700. 12. 31. 11. 15. 10. 10. 10. 10. 10.



* * *

Ex phaenomenis vltimo, octauo nempe, pro-
pemptico expositis patet quoque, altitudinem
mercurii in tubo xy minorem factam esse, quam
primum mercurii solutio peracta erat, ita quidem,
vt prima statim hora a 16 digitorum altitudine ad 9 descen-
deret. Cum igitur ab altitudine mercurii in tubo xy ad
elasticitatem aëris utriusque phialae *spngq* et *cdhge* inclusi
concludere debeamus, vt etiam haec aëris inclusi elasticitas,
statim post finem solutionis mercurii, minor facta sit
necessa est.

Huius imminutionis elasticitatis quadruplex potest
cogitari causa, aut enim istud, quod ex mercurio durante
solutione prodierat et elaterem auxerat, ex sua natura ces-
sat esse elasticum, adeoque non est aër, aut, si aër fuit quod
ex mercurio soluto prodiiit, is per commissuram quandam
circa c, r vel *s* viam sibi aperuit et prodiiit ex phialis; aut
eius elasticitas, tantum ob calorem in phialis, post per-
actam mercurii solutionem, cessantem, imminuta est, aut
denique aër, qui durante solutione ex mercurio eiusque
menstruo prodierat, in eadem rediit, vnde eius quantitas
in phialis, vna cum elasticitate, non potuit non imminui.

4 Elasticitatem aëris in phialis non ideo imminutam esse, quia istud, quod ex mercurio eiusque menstruo prodiit, ex sua natura cessavit esse elasticum, ex eo potest cognosci quia non omnis elasticitas, quae durante solutione aëri phialae inclusa accessit, cessavit, persistit enim mercurius ultra tres menses in tubo x y sub altitudine 4 digitorum. Nec vlla patet ratio, quare per integrum diem imminutio elasticitatis durauerit, si ex sua natura cessavit esse elasticum, successiuus enim effectus ponit causam successiuam, qualis cessatio ex ipsa rei natura esse non potest, cum nec in circumstantiis quidem vlla pateat successiva mutatio.

Eadem persistentia mercurii in tubo x y ultra tres menses sub eadem altitudine, 4 nempe digitorum, docet quoque aërem phialis inclusum per commissuras in s , r vel c haud prodiisse, per easdem enim aperturas, per quas per integrum diem prodire potuit, etiam omnis prodire potuisse. Nec, si tales apertae adfuerint commissurae, per quas aër a columna mercurii $6\frac{1}{2}$ digitorum pressus transire debuit, fieri potuisse, ut aër per radios solares caelefactus, mercurium ad 10 digitorum altitudinem de novo eleuaret.

Si quoque quis affirmare vellet, ob gluten, quibus obturacula obducta sunt, fieri potuisse, ut aër pressus, propellendo gluten, sibi semper viam aperuerit, quam primum vero, per successuum aëris transitum, eius elasticitas in phialis minor quam resistentia glutinis ex cohaesione facta sit, nihil ulterius prodire potuisse, et hinc factum esse, ut mercurius sub altitudine 4 digitorum ultra tres menses quietuerit, iste tamen concedere debet, elasticitatem aëris a columna mercurii 5 digitorum compressi maiorem fuisse resistentia glutinis, aliter enim mercurius ad 4 digitorum altitudinem descendere haud potuisse. Cum igitur istis tribus

tribus mensibus saepius, per calorem aëris externi, ad 5 digitorum altitudinem peruererit, tunc semper noua quantitas aëris inclusi per commisuras sibi viam aperire debuisset, adeoque, cessante calore, 4 digitis minorem altitudinem mercurius in canali $x \times y$ acquirere debuisset; hoc vero cum sit contra experientiam, patet successiuam elateris, aëris phialis inclusi, imminutionem, in nostro phaenomeno, ex transitu aëris per commisuras philarum explicari haud posse. Aut igitur aëris phialis inclusi imminuta elasticitas vnice ab imminuto calore, durante solutione mercurii orto, aut a quantitate aëris in phialis, per absorptionem eiusdem a menstruo, imminuta, aut ab vtrisque simul deriuanda erit.

Augmentum quoddam elateris aëris, phialis inclusi, per calorem durante solutione mercurii ortum, crescentis in tubo $x \times y$ altitudinis mercurii fuisse causam dubitare non licet, partim quia ex physicis notum est, omnem aëris elaterem, accedente calore, crescere, partim quia in nostro phaenomeno mercurius, qui iam ad $6\frac{2}{3}$ digitorum altitudinem descenderat, redeunte a radiis solaribus calore, ad 10 rursus digitorum, altitudinem adscendebat, et is, qui tantum sub 4 digitorum altitudine quiescebat, 5 digitorum occupat altitudinem, quoties calor externus crescebat.

Minime tamen hoc elasticitatis aëris phialis inclusi a calore incrementum pro vnica totius altitudinis mercurii in tubo $x \times y$ est habenda causa, omnis enim tunc altitudo mercurii, eodem tempore, quo calor penitus cesabat, abesse debuisset. Cum igitur, experientia teste, tam paruum corpus, ac spiritus nitri vncia dimidia cum drachma mercurii dimidia esse solet, suum calorem, quocunque gradu praesentem, nunquam per vnam horam conseruare valeat,

etiam in phialis calor, durante solutione mercurii ortus, ultra horam durare haud potuit.

Quodsi ergo ponamus istum calorem in phialis, ad consumtionem plenariam vsque, per integrum durasse horam, iste quoque tantum mercurii descensus, qui durante prima hora, post solutionem finitam, obseruatus est, ab altitudine nempe 16 digitorum ad nouem vsque, adeoque per 7 tantum digitos, imminuto elateri, per refrigerium aëris inclusi, tribui poterit. Subsequens igitur descensus per 5 adhuc digitos, a nouem nempe ad quatuor digitorum altitudinem, intra viginti trium horarum tempus, obseruatus non nisi a quantitate aëris in phialis imminuta deriuari poterit. Huius vero quantitas imminutionem, pro circumstantiis phaenomeni in hoc propeinptico expositis, ex alia causa deriuare non licet, quam quod aër, qui ex mercurio et spiritu nitri durante solutione prodiit, in eadem fluida ex adhaesione redierit, aeque ut videmus aërem, qui sub antlia ex aqua vel aliis prodiit fluidis, in eadem intra 24 horas redire.

Reliqua proxima exponam occasione. Iam vitae laudabiliter gestae clarissimi Medicinae Doctorandi

JOHANNIS GOTTLIEB ISAAC

GOERLIZIO LVSATI

rationes sunt reddendae, id quod, ne quid intentioni clarissimi nostri candidati detrahatur, ipsius eius efficaciam verbis:

Ego IOHANNES GOTTLIEB ISAAC, Goerlicii in lucem sum suscepitus anno M DCC XXV. die XXII. Iunii. Patrem veneratus sum Virum prænobilissimum experientissimum IOHANNEM CASPARVM ISAACVM, Medicinae Doctorem, Physicum Dioecesis Goerlizensis meritissimum, praxinque feli-

felicem Goerlicii, per multorum annorum seriem, exer-
 centem. Matrem colui ANNAM SOPHIAM ex stirpe Foer-
 sterorum ortam. Optimi hi parentes, quoisque adhuc
 inter viuos erant, nihil omiserunt, de iis quibus puerilis aetas,
 tam quod ad pietatem, quam quod ad mores, et primitias lit-
 terarum humaniorum erudiri solet, priuatis enim institutio-
 bus absolutis, Rectori Gymnasii Goerlicensis Celeb. et meritis-
 simo Domino BAVMEISTERO me tradidere erudiendum; nec
 non multa me profecisse confiteor ex institutione fidissima
 Dominorum MYLII, MULLERI, EICHLERI, BRIEGLEBII,
 SCHVLZII, quorum singularem sinceritatem ac in me bene-
 uolentiam veneror. Horum celebrium virorum institutione
 doctissima, eo rem perdux, ut anno M DCC XLVI. ad musas
 Salanas aduolans, in numerum studiosorum, Prorectore tunc
 temporis Magnifico, Viro Illustri et excellentissimo, nunc beato,
 HILSCHERO sim receptus. Quo itaque studium Medicinae, quod
 a teneris in diliciis habui, beneuola Minerua incipere possem,
 ad philosophicas me primitus doctrinas, et quidem ad *Logicam*
 duce Illustri et Excellentissimo DRIES, ad *Metaphysicam* in-
 terprete Excellentissimo REVSCHO, et ad *Mathesin* duce Illu-
 stri Excellentissimo et Experientissimo HAMBERGERO accinx.
 Vnde ad medica me adplicans duce Illustri et Experientissimo
 HILSCHERO, facultatis medicae tunc Seniore venerabili, *phy-*
sologiam, patbologiam et praxin, publice audiui. Pariter et
 Illustrem atque Excellentissimum HAMBERGERVM, Faculta-
 tis medicæ iam Seniorem venerabilem, in *Physicis Osteologicis,*
Anatomicis, Physiologicis, Pathologicis, Semioticis collegiis, item-
 que eius lectionibus quæ ad *materiam medicam, artem praescri-
 bendi formulas, methodum medendi et Botanicam* pertinent,
 ita interfui, vt vsum ex tantis solidissimis demonstrationi-
 bus nunquam satis depraedicare valeam. Multum admodum
 quoque debo Viro Illustri et Excellentissimo Domino KALT-
 SCHMIED, Rectori iam Academiae Salanae Magnifico, cuius
 insignem erga me, per totum tempus quod Ienae vixi, be-
 neuolentiam, tam in me erudiendo, quam in caeteris, semper
 vene-

venerabor, siue enim docuerit *Anatomiam, Chirurgiam, Physiologiam, materiam medicam, medicinam legalem et practicas artes*, siue celebrauerit *sectiones plures Anatomicas artificiosas et operationes illas Chirurgicas* per totum orbem celebratissimas, permisit ut tam cupidas aures, quam attentos oculos offerre, illisque interesse potuerim. Tandem et Experientissimum D. D. TANNENBERGERVM audiui *materiam medicam et Pathologiam interpretantem.*

Hactenus noster.

Egregie sic gesta omni vita, me Decano nomen suum Facultati dedit, cumque optime in consuetis se exhibuerit examinibus, ipsi concessum est, vt, defendendo suam **DE PVERPERARVM MORBIS**, sub Magnifici KALT-SCHMIDII grauissimo praesidio, dissertationem inauguralement, publicum quoque eruditionis acquisitae, die III. Februarii, exhiberet specimen.

Huic Solennitati vt Magnificus Ex-Prorector, Magnificus Proreector designatus, Patres Academiae venerandi, Hospites omnium ordinum atque dignitatum honoratissimi, atque Generosorum pariter ac Nobilissimorum Commilitonum corona, honorifica et acceptissima sua praesentia, splendorem decentem conciliare velint, colle-
gii mei nomine obseruanter peto. P. P. d. I. Febr.

M DCC L.

(L. S.)